

*Licetus, Janus Gruterus*, imprimis ejus *Fax Critica* (velut *Tractatus Tractatum Philologicorum*) & *Inscriptiones*, quarum supplementis *CL. Vir Tb. Reinesius* immortalis est. Nihil de *Salmasii Pallio* & *Militia Romana*, *Budaei Asse*, *Gronovii Sestertio*, *Bartholini Penula*, *Barthii Adversariis*, variis denique variorum in rem Romanam curis dicam. Addi poterunt ii, qui in notis ad auctores sua collectanea per occasionem effuderunt. Ex hac historia haurientur *Leges XII. Tabularum*, *Iura Prætoria*, *Origo Ictorum*, & quæcunque *Ciceronis* ævo vel antea apud Romanos obtinuerunt. Illo tempore *Jurisprudentia Romana* nihil à naturali recesserat, quia nondum ad libidinem dominantium *Leges inflectebantur*.

§. 31. *Historia Augusta* est ab *Augusto* usque ad *Constantinum Magnum*. Unde & ita inscribuntur variorum *Historicorum libri* à *Frid. Sylburgio* editi, & in *Belgio* aliquoties aliter formati.

Hanc